



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Bonae, Eminentissimi S. R. E. Titulo S. Bernardi
Ad Thermas Cardinalis Presbyteri Opera Quotquot
hactenùs separatim edita fuerê Omnia**

Bona, Giovanni

Antverpiae, 1677

§. 4. Fundamentum vitae Christianae est abnegatio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10805

quisquam potest redemptionis fructu potiri nisi per crucem. Hinc necessitas indispensabilis orta est abnegandi seipsum, quod qui præstare recusat, Christi discipulus esse non potest. *Siquis, inquit, venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus. Et qui non bajulat crucem suam, & venit post me, non potest meus esse discipulus* (Luc. 14. 26.) Et apud alium Evangelistam ait: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me* (Matt. 16. 24.) *Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdat eam: qui autem perdidit animam suam propter me, inveniet eam. Non dixit abnegandam dumtaxat esse superbiam, crapulam, ebrietatem, luxuriam, divitias, possessiones, & alia, quæ extra nos sunt; nam hoc utique tolerabile foret: sed jubet etiam ut abnegemus nos ipsos, proprios scilicet affectus, & quidquid suggerit & operatur in nobis spiritus Adæ. Hæc omnia prorsus à nobis revellere, ac rejicere debemus, & carnem nostram crucifigere cum vitiis, & concupiscentiis suis, vitamque Christi crucifixi in nobis exprimere. Durus est hic sermo carni, & sanguini, sed in hoc Christi fides, in hoc salus nostra consistit.*

S. IV.

Fundamentum vitæ Christianæ est abnegatio.

Abnegatio primus lapis est spiritali ædificio sternendus. Quid enim profunt altæ de Deo, rebusque divinis speculationes, quid dulcia cum Deo colloquia, quid virtutum exercitationes, si nos ipsos in his quærimus, & in superbiam elati nos colimus velut idolum, & pharisaico fastu cæteros aspernamur? Sapientior est omnibus Philosophis, qui se stultum credit; gloriosior cunctis Regibus, qui se omnibus inferiorem putat. Salus, virtus, & perfectio nostra non in sublimitate sermonis, non in signis, & mirabilibus; sed in cruce, in abjectione, & in improbris Christi sita est: nec ullus unquam poterit aut salutem consequi, aut virtutem adipisci, aut perfectus esse, nisi abneget semetipsum, & reseratis omnibus vitiis ad exemplar se conformet, quod Christus cruci affixus nobis ostendit. Advertendum tamen est, quod sicut Simeon Cyrenæus crucem portavit post *JESUM*, sed mortuus in ea non est: ita multi crucem aspernamam portant, qui sibi adhuc vivunt, & ex proprio sui amore, non purè propter

Deum patiuntur. Quis crederet amorem sui in cruce locum habere, à qua tantoperè natura abhorret? Et nihilominus non pauci reperiuntur, qui duram crucem amplectuntur, ut de pœnis suis gloriantur, & ab hominibus videantur. Hi sanè crucem portant, sed nolunt cum Christo crucifigi: seipfos excruciant, sed nihil inde merentur, imò bonorum omnium jacturam faciunt. Solent plerique conqueri, res & negotia eos impedire, ne interiori pace fruantur: at reverà quidquid obstitit mentis nostræ tranquillitati, à nobis ipsis procedit, quia inito scedere cum propriis sensibus hoc vinculum dissolvi non patimur, ea omnia fugientes, quæ propriis commodis adversantur. Hoc est bellum intestinum, & turbulentum, quod inter rationem & appetitum jugiter erit, donec pars inferior superiori parère, & subjici didicerit. Si quis amicum haberet summâ sibi necessitudine conjunctum, cujus præsentia ne uno quidem momento carere posset, cum quo edere, dormire, confabulari solet, ab aliquo autem fide dignissimo moneretur, hunc perfidum proditorem esse, qui mortem illi dolosè tentaret inferre, omnis amor protinus in odium & in implacabilem inimicitiam converteretur. Porrò hic amicus caro nostra est, cui blandimur, quam fovemus, cujus desideriis obsequimur: & hæc sub specie amicitia nos decipit, & vitam nobis non corporis aliquando morituri, sed animæ eripere conatur. Non sunt nobis fingenda prælia, & decernenda certamina cum absentibus & longè distantibus adversariis; sed cum hoste domestico quotidie decertandum, qui salutem nostram semper insidiatur. Tollat homo seipsum à se, & nullum habebit in via salutis impedimentum.

S. V.

Quomodo adversus vitia, & pravas affectiones pugnari oporteat.

Atendum solerter quid diligamus, quid amemus, unde gaudeamus, & contristemur; totum enim cor nostrum in his quatuor affectionibus est: & tunc ad Deum toto corde convertimur, cum nihil omnino diligimus, nisi ipsum, aut propter ipsum: cum nihil nisi eum, aut propter eum timemus: cum non nisi secundum ipsum aut dolemus, aut lætamur. Hi motus animi cum non reguntur, nos similes faciunt omni generi bestiarum: cum autem reguntur, omnino mansuescunt, & nos similes Angelis efficiunt. Hæc est nimirum